Iodocus Hondius Lectori S. D.

RECTE illi meo judicio senserunt, benevole Lector, qui inter disciplinas liberales, quæ citra controversiam plurimum adferunt utilitatis vitæ mortalium, primum locum Geographiæ tribuunt, non tantum ob id, quod absq; hac cæca est omnis veterum auctorum lectio, surda rerum gestarũ narratio: Verum etiam quod in publicis consultationibus, inque dirimendis controversiis, quoties de ditionis finibus ambigunt Principes, vel fideli consilio, vel æquo judicio juvat. Nihilo secius & in privatis actionibus plurimum adferens & commoditatis & voluptatis. Geographiæ siquidẽ in est mirifica quædam doctrina, incredibili rerum varietate a jucunditate distincta, quæ Lectoris & Spectatoris animum suavi quadam delectatione allicere & ad pleniorem sui cognitionem excitare solet. Quidquid enim admirandum, quidquid uspiam gentium, (præsertim hoc nostro seculo, in quo in omnes mundi partes naves mittuntur,) terrarum, locorumve existit, id omne Geographia dilucidè Lectori ob oculos ponit. Denique non solum Gentes & Regiones, Insulas, Vrbes, Maria, Flumina, Lacus, Paludes, Nemora, Ventos, Latitudines ac Longitudines per Gradus & Minuta suis descriptionibus complectitur: Verum etiam singularum Regionum res memorabiles, præclarè ac fortiter, tum domi, tum militiæ gestas, tam graphicè depingit, ut communi calculo nihil sit ad civilem sapientiam utilius ac præstantius existimandum.

Geographiæ utilitas

Quocirca plurimum laudandi illi sunt, qui in hac arte desudarunt: inter quos Abrahamus Ortelius, Daniel Cellarius, Anthonius Maginus, Paulus Merula, Petrus Bertius aliique: sed inprimis omnium doctissimus Mathematicus & conterraneus meus Gerardus Mercator, quamuis morte præpeditus Geographicum suum opus (cui Atlantis nomen indidit) ad finem perducere non potuit. Verum cum hoc ipsum a nobis superiori anno in lucem datum sit, adjectis non

Geographi

Atlas major.